

037

035

041

031

046

026

086

136

Ende

Anfang

22

perpenditur, quanta loca illa sanctissima exundant haud dubio  
laude et gloria, quanta virtute et dignitate praestant, quanta  
proinde devotiona, si via ad ea nobis esset aptior, jure meri-  
toque essent tum honoranda, tum visitanda. Quanto colenda  
affectu, quae et ipsa mater Domini Maria, virgo perpetua,  
ejus post ascensionem, dictarum rerum ob memoriam non tam  
incoluit multo post tempore, quam ardentissimis desideriorum  
insigniis honorabiliora nobis effecit. Ita et reliquae mulieres  
sanctae loca ipsa saepenumero devotissime exosculantes,  
atque hunc in modum plerique alii utriusque sexus homines  
fecere. Inter quos beatissimus fulget Hieronymus, eorundem  
locorum cultor et inhabitator praecipuus, qui in diversorio  
Mariae ad praesepe Domini in bethlehemito tuguriolo latitare  
atque commorari romanis praetulit deliciis. Ita devotissima  
Paula et Eustochium cum multis virginibus, et venerabilis  
Marcella, ex Roma literis iam dictarum advocata. Sic et  
Melania, mulier urbica, cum multa familia Romam deseruit,  
Jerosolymam petiit, ibique monasterium construxit, Deo cum  
quinquaginta virginibus serviens. Haec, ut Hieronymus in  
epistola ad Paulam consolatoria super dormitione Blessillae  
dicit, quod una hora virum, et duos liberos amisit, mox cum  
omni, quam habebat, possessione iam hyeme navigavit, nolens  
oportunum navigationis tempus exspectare. [Tom. 1. Fol.  
160. D.] Sed et Fabiola, ingentibus derelictis opibus, narrat  
Hieronymus in epitaphio Fabiolae ad Oceanum [Tom. 1. Fol.  
197. sqq.] venisse in terram sanctam, ibi moraturam. Sic et  
sanctae foeminae ad loca sancta transmigrantes Rusticum ad  
se vocavere, ut habeat Hieronymus in epistola ad Rusticum  
[Tom. 1. Fol. 219.] Sed et Susanna, nobilis virgo, de Roma  
Bethlehem adiit. Cujus tamen peregrinatio in malum cessit,  
ut Hieronymus in epistola objurgatoria ad eandem asserit  
[Tom. 4. Fol. 139. sqq.] Insuper B. Hieronymus multis scribit  
epistolas invitatorias ad loca sancta. Sicut ad Apronium  
(Tom. 2. Fol. 130.) Et Theodoram sanctam foeminam; ad  
Abigaum coecum (Tom. 1. Fol. 203.) Et Desiderium in epistola  
vocat (Tom. 3. Fol. 198.) Et Marcellam per epistolam,  
tamquam per Paulam et Eustochium missam, a Roma vocat  
ad loca sancta, collaudans ultra modum terram sanctam, et

